

DIRECTORIUM DE RE OECUMENICA

*CIP*Praeloemium

1. "Ad totam Ecclesiam sollicitudo unionis instaurandae spectat, tam fideles quam pastores et unumquemque secundum propriam virtutem afficit" (Decr. "De Oecumenismo", art.5). "Quia genus humanum hodie magis magisque in unitatem civilem, oeconomicam et socialem coalescit, eo magis oportet, 5 ut una cum sacerdotibus Episcopi tam catholicis quam non-catholicis faciem ministerii vere sacerdotalis et pastoralis exhibeant et omnem rationem dispersionis elidant, ut in unitatem familiae Dei totum genus humanum adducatur" (cf. Const. "De Ecclesia", n.28 et Decr. "De Pastorali Munere Episcoporum", n.16).

2. Episcoporum igitur est cum auctoritate decernere, consideratis 10 quidem omnibus circumstantiis et debita servata prudentia ne fides detrimentum patiatur, de modo concreto agendi in rebus oecumenicis, uti in decreto "De Oecumenismo" passim affirmatur (cf. n.4; n.8; n.9). Cum autem haec motio a Spiritu Sancto excitata sit (cf. decr. "De Oecumenismo", n.4), quae hic sequuntur eo fine eoque modo proponuntur, ut in applicando decreto "De Oecumenismo" episcopis inserviant, "quin Providentiae viis ullum ponatur obstaculum et quin futuris Spiritus Sancti impulsionibus praeiudicetur" (decr. "De Oecumenismo", n.24).

I. De Commissionibus Oecumenicis Instituendis

A. De commissione dioecesana

3. Per opportunum videtur ut in unaquaque dioecesi vel - si rerum adiuncta id consultant - in pluribus dioecesibus simul sumptis aliqua commissio 20 vel secretariatus de re oecumenica instituatur. In singulis autem dioecesibus quae propriam commissionem habere non valent, unus saltam vir delegatus adsit, qui de mandato episcopi rebus oecumenicis provideat.

4. Commissio mutuas excolat relationes cum institutis operibusque oecumenicis vel iam existentibus vel de novo erigendis eorumque auxilio pro 25 opportunitate utatur necnon aliis in dioecesi operibus et inceptis singulorum sedulo inserviat, ita ut mutuo sese informent atque instruant.

5. Inter huius commissionis membra, praeter clerum dioecesanum, religiosi et religiosae necnon laici idonei utriusque sexus pro opportunitate assumantur, ut sollicitudo unitatis instaurandae, quae ad totam Ecclesiam spectat, clarius demonstretur, foveaturque efficacius.

5 6. Huius commissionis munera, inter cetera haec sint:

- a) Decreti "De Oecumenismo" applicare ad locorum personarumque circumstantias.
- b) Oecumenismum spirituale fovere secundum ea, quae in decreto "De Oecumenismo", praesertim in n°8 dicuntur de oratione publica et privata pro christianorum unitate impetranda.
- c) Mutuam cum fratribus seiunctis comprehensio et caritatem promovere.
- d) Ut dialogus instauretur curare eumque moderari, prout variis modis pro colloquentium conditione efformandus est ad mentem nn.9 et 11 decreti "De Oecumenismo".
- e) Cum fratribus seiunctis, testimonium in communi promovere de fide christiana necnon cooperationem v.g. in ordine morali, sociali, culturali, scientifico vel artistico ad mentem n°12 decreti "De Oecumenismo".
- f) Constituere peritos ad instituenda consilia et consultationes cum ecclesiis vel communitatibus seiunctis inter dioeceseos fines existentibus.
- g) Auxilia praebere vel suggestiones dare ad efformationem et educationem tam clericorum quam laicorum instituendam et ad vitam christianam oecumenico spiritu degendam, inter quae praeminent formatio alumnorum in Seminariis, praedicatio et catechesis aliaeque institutiones de quibus agit decretum "De Oecumenismo" in n° 10.
- h) Relationes cum commissione oecumenica territoriali, de qua infra, cuius consilia et suggestiones ad proprias dioeceseos circumstantias applicentur. Insuper, si rerum adiuncta id suadeant, informationes utiles Romam mittantur ad Secretariatum pro christianorum unitate fovenda, quibus illi in implendis suis muneribus adiuvari possit.

B. De commissione territoriali.

- 35 7. Ab unaquaque conferentia episcoporum unius vel - si rerum adiuncta id consultant - etiam plurium nationum secundum propria statuta pro opportunitate instituatur commissio episcoporum de re oecumenica quae peritos sibi

assumat et quae, de mandato conferentiae episcoporum huius territorii, rebus oecumenicis curam habeat atque decernat de modo concreto agendi, attentis omnibus circumstantiis temporum, locorum et personarum, ad normam descr. "De Oecumenismo", aliarumque ordinationum legitimarumque consuetudinum. Huic commissioni pro opportunitate adiumento sit secretariatus stabilis.

8. Huius commissionis cura ea omnia complectitur, quae supra sub A, a-h indicata sunt, inquantum instrant in munera conferentiae territorialis.

Insuper, curam habeat de aliis operibus, e quibus hic quaedam exempli gratia enumerantur:

10 a) Consilia et adiumenta episcopis danda, qui in propria diocesi commissione de re oecumenica instituenda operam navant.

b) Adiutorium tam spirituale quam materiale pro rerum adiunctis praebendum sive institutis iam existentibus sive inceptis oecumenicis excitandis quae vel doctrinam studiaque excolenda spectant vel curae animarum vitaeque christianaeefformandae dedita sunt, iuxta normas in nn. 9, 10 et 11 decreti "De Oecumenismo" prolatas.

c) Institutio dialogi et consultatio cum moderatoribus necnon consiliis oecumenicis ecclesiarum vel communitatum seiunctarum, quae extra singularum diocesium fines sed in ambitu huius nationis vel territorii existunt.

20 d) Designatio illorum peritorum, qui publico mandato ecclesiastico ad colloquia et consilia cum peritis illarum communitatum deputantur, de quibus sub littera c) agitur.

e) Institutio specialis subcommissionis pro rebus oecumenicis quae orientales spectant, si rerum adiuncta id expostulant.

25 f) Relationes hierarchiae huius territorii cum Secretariatu ad christianorum unitatem fovendam, Romae, habendae.

II. De Baptismi Validitate a Ministris Ecclesiarum et Ecclesialium
Communitatum a Nobis Seiunctarum Collati

9. Praxis Ecclesiae hac in re duobus regitur principiis, nempe baptismum ad salutem necessarium esse; isque semel tantum conferri posse.

10. Momentum sacramenti baptismi in re oecumenica ex documentis Concilii Vaticani II illustratur: "Ipse (Iesus Christus) autem necessitatem fidei et baptismi expressis verbis inculcando, necessitatem Ecclesiae, in quam homines per baptismum tamquam per ianuam intrant, simul confirmavit" (Const. Dogm. "De Ecclesia", n.14).

"Cum illis qui, baptizati, christiano nomine decorantur integrum autem fidem non profitentur vel unitatem communionis sub Successore Petri 10 non servant, Ecclesia semetipsam novit plures ob rationes coniunctam" (Const. Dogm. "De Ecclesia", n.15).

PATRIMONIO UC

"Hi enim qui in Christum credunt et baptismum rite receperunt, in

quadam cum Ecclesia Catholica communione, etsi non perfecta, constituuntur ... iustificati ex fide in baptimate Christo incorporantur, ideoque christiano 15 nomine iure decorantur et a filiis Ecclesiae ut fratres in Domino merito agnoscantur" (Decr. "De Oecumenismo", n.3).

"Ex altera parte necessarium est Catholicos cum gaudio agnoscere et aestimare bona vere christiana, a communi patrimonio promanantia, quae apud fratres a nobis seiunctos inveniuntur" (Decr. "De Oecumenismo", n.4).

20 11. Sequitur inde baptismum esse vinculum unionis omnium Christianorum. Quapropter et dignitas et modus conferendi eum res est summi momenti pro cunctis Christi discipulis. Tamen recta aestimatio huius sacramenti necnon reciproca acceptatio baptismi collati in communitatibus respectivis impeditur propter prudens dubium circa baptismum in concreto casu collatum. Ut 25 evitentur difficultates in casu in quo aliquis, Spiritus Sancti gratia et dictamine conscientiae suae impulsus, plenam communionem cum Ecclesia Catholica petit, quaedam normae proponuntur.

12. Reprobatur praxis indiscriminatim baptizandi sub conditione omnes qui plenam communionem cum Ecclesia Catholica desiderant. Sacramentum enim baptismi iterari nequit (can. 732, § 1) ideoque, baptismus sub condicione iterum conferre non permittitur nisi adsit prudens dubium de facto vel de validitate baptismi iam collati (cf. Conc. Trid., s.vii, can. 4; CIC 732, § 2, 760).

13. In omni casu ubi, seria investigatione de collato baptismo rite peracta, ob prudens dubium necessarium est baptismum sub conditione (iterum) conferre: a) ut debita ratio de unicitate baptismi habeatur, minister opportune explicet et rationes propter quas baptismus, hoc in casu, sub condicione conferatur, et significationem ipsius ritus baptismi sub conditione collati; b) illud privatim et in forma simpliciori conferatur neque nimiae divulgationi locum detur. Hoc modo etiam evitatur offensa communitatis seiunctae.

PATRIMONIO UC

15 14. Quoad baptismum apud Christianos orientales seiunctos collatum, eius validitas in dubium vocari nequit, dummodo de eius facto rite constat. Cum in Ecclesiis Orientis sacramentum confirmationis (chrismatis) legitime a sacerdote simul detur cum baptismo, frequenter accidit quod nulla mentio de hoc sacramento fit in canonica attestazione ipsius baptismi; exinde non 20 constat dubium de facto collationis exoriri debere.

15. Quod ad alios christianos attinet, quandoque dubium oriri potest.

(a) Quoad materiam et formam. Baptismus collatus per ritum immersionis vel infusionis vel aspersionis cum formula trinitaria est validus (cf. CIC 758). Si ergo libri rituales et liturgici vel consuetudines alicuius ecclesiae 25 vel communitatis religiosae unum ex his modis baptizandi imponunt, ratio dubitandi oriri potest tantum ex facto quod contingat ut minister normis propriae communitatis non obsequatur. Requiritur igitur et sufficit testimonium de fidelitate ministri baptizantis erga normas propriae communitatis vel ecclesiae.

Ad illud inquirendum generatim oportet obtinere testimonium scriptum baptismale cum nomine baptizantis. Plerumque possibile erit cooperationem communitatis seiunctae impetrare ad stabiliendum in genere vel in particuli, utrum minister de facto secundum libros approbatos baptismum contulisse assumendum sit.

(b) Quoad fidem et intentionem. Quia autem quidam putant insufficientem fidem vel intentionem ministri dubium de baptismo fundare posse, haec notanda sunt:

- (i) Fides insufficientis ministri nunquam ex se ipsa invalidum reddit baptismum.
- (ii) Praesumenda est intentio sufficiens in ministro qui baptismum contulit nisi de eius intentione faciendi quod faciunt Christiani seria ratio dubitandi adsit (cf. Resp. S.Officii, die 30 ian. 1833 Sufficit facere quod faciunt Christiani; S.C. Conc. Decr., approb. a Pio V, die 19 iun. 1570, cit. a Conc. Prov. Evreux, 1576).

(c) Quoad applicationem materiae. In casibus ubi dubium de materiae applicatione oritur, reverentia erga sacramentum necnon observantia erga naturam ecclesialem communatum seiunctarum postulant ut inquisitio seria de praxi communitalis et de circumstantiis ipsius baptismi instituatur, antequam iudicium de invaliditate sacramenti propter modum collationis profertur.

16. Integra quaestio de baptismi theologia et praxi in dialogo inter Ecclesiam Catholicam et ecclesias seu communites seiuntas proponatur. Suadetur, ut huiusmodi discussio a Consiliis Ecclesiarum diversis in regionibus initietur, et ubi fieri convenit, conventum quoddam ("an agreement") de modo in hac re agendi ineatur.

17. Pro reverentia erga sacramentum initiationis, quod Dominus pro novo foedere instituit maxime optandum est, ut dialogus cum seiunctis nequam restringatur ad quaestionem de elementis ad validitatem baptismi absolute necessariis. Oportet insuper plenitudinem signi sacramentalis eiusque

modum efficiendi, prout ex Novo Testamento eruitur investigare quo facilius conventum inter ecclesias praeparetur de agnitione reciproca baptismi.

18. Iusta aestimatio baptismi collati a ministris ecclesiarum et communitatum ecclesialium a nobis seiunctarum momentum oecumenicum secum fert. Ex hac aestimatione baptismus vere manifestatur ut "vinculum unitatis sacramentale vigens inter omnes qui per illum regenerati sunt" (Decr. "De Oecumenismo", n.22). Ideoque sperandum est fore ut omnes christiani magis ac magis cum reverentia et fidelitate erga Domini institutionem de illius celebratione curent.

10 19. Iuxta mentem decreti "De Oecumenismo" fratres extra communionem Ecclesiae Catholicae visibilem nati et baptizati sedulo distingui debent ab iis qui, in Ecclesia Catholica quidem baptizati, eius fidem scienter et publice denegaverunt. Secundum decretum, enim, "qui nunc in talibus communitatibus (seiunctis) nascuntur et fide Christi imbuuntur, de separationis peccato argui nequeunt" (cf. Decr. "De Oecumenismo", n.3); quamobrem, absente tali culpa, si fidem catholicam sua sponte et voluntate amplecti volunt, a pena excommunicationis absolvi non indigent, sed professione fidei facta, in plenam communionem Ecclesiae Catholicae admittantur. Praescriptio-nes vero can. 2314 iis solummodo applicantur, si casus ferat, qui, post-20 quam a fide vel communione catholica culpabiliter defecerunt, cum matre Ecclesia reconciliari contriti postulant.

20. Quod de absolutione a censiis modo dictum est, etiam de abiurazione ab haeresi valet.

21. Quanquam hic ingressus in catholicam communionem de se postulet publicam celebrationem cum quadam localis communitatis praesentia, attamen propter circumstantias ab Ordinario loci dijudicandas quandoque modo plus minusve privato procedere licet.

III. De Oecumenismo Spirituali in Ecclesia Catholica Promovendo

22. "Cordis conversio vitaeque sanctitas, una cum privatis et publicis supplicationibus pro Christianorum unitate, tamquam anima totius oecumenici existimanda sunt et merito oecumenismus spiritualis nuncupari possunt." (Decr. "De Oecumenismo", n.8).

5 His paucis verbis, decretum "De Oecumenismo" oecumenismum spiritu-
atque alem definit. eius momentum sublineat, ita ut christiani, tam in vita quoti-
diana quam in precum effusione, unitatis intentionem continuo pree oculis
habeant.

23. Attamen decet precationes pro unitate iterare temporibus
10 peculiaribus, praesertim,

a, hebdomada a die 18 usque ad 25 ianuarii, vocata "hebdomada precum pro christianorum unitate", in qua frequenter plurimae Ecclesiae et Communi-
tates ecclesiæ coniunctim pro unitate precantur;

b. diebus ab Ascensione Domini usque ad Pentecosten, quibus recor-
15 datio fit Hierosolomytanae communitatis adventum adprecantis atque expec-
tantis Spiritus Sancti, qui eam in unitate et missione universali confirmet.

Insuper, exempli gratia:

a) diebus circa Epiphaniam in quibus Christi coram mundo manifesta-
tio necnon nexus inter Ecclesiae missionem eiusque unitatem commemorantur;
20 b) feria quinta Hebdomadae Sanctae, qua commemorantur institutio
Eucharistiae, sacramenti unitatis, et Iesu Christi Salvatoris pro Ecclesia
eiusque unitate oratio in Coenaculo;

c) feria sexta Hebdomadae Sanctae, vel in festo Exaltationis Sanctae
Crucis quo commemoratur mysterium crucis filios Dei dispersos congregantis;

d) Solemnia festa Paschalia in quibus omnes Christiani gaudio Resur-
rectionis Domini consociantur;

e) Occasione conventuum vel aliorum maiores momenti eventuum quos
oecumenismus forte suscitaverit, aut qui in oecumenicas relationes influxum
notabilem habere possint.

24. "Solemne est Catholicis frequenter ad illam orationem convenire pro Ecclesiae unitate, quam Salvator Ipse in pervaigilio mortis a Patre flagrante precatus est: "Ut omnes unum sint".(Decr. "De Oecumenismo", n.8).

Itaque in unione cum illa oratione a Christo in ultima Cena prolata
5 oratio pro unitate ab omnibus fiat, ut christiani omnes accedant "ad illam plenitudinem unitatis quam Iesum Christus vult" (ibid. n.4).

25. Pastores curam habebunt, ut fidelium catholicorum adunationes ad preces pro unitate effundendas secundum varias circumstantias locorum et personarum ordinentur. Cum autem Sacra Eucharistia mirabile sacramentum sit
10 "quo unitas Ecclesiae et significatur et efficitur" (Decr."De Oecumenismo,n.2), multum interest, fidelibus momentum eius in memoriam revocare et preces publicae pro unitate christianorum intra Sacram Synaxim (e.g. in Oratione Fidelium vel in Eccleniis) nec non celebrationem Missae votivae "pro Ecclesiae unitate" commendare. Insuper, in ritibus ubi peculiaria impetrationis officia liturgica sicuti "Litia", "Holeben" etc. extant, illa etiam pro unitate christianorum celebrare decet.

IV. De Communicatione in Spiritualibus cum Fratribus Seiunctis

A. Praenotanda

26. Ad redintegrationem unitatis inter omnes christianos fovendam non sufficit ut christiani inter se fraternalm caritatem exerceant in quotidiano humano commercio. Ex elementis enim seu bonis, "quibus simul sumptis ipsa 20 Ecclesia aedificatur et vivificatur, quaedam immo plurima et eximia exstare possunt extra visibilia Ecclesiae Catholicae saepta" ("De Oecumenismo", n.3). Haec elementa, "quae a Christo proveniunt et ad Ipsum conducunt, ad unicam Christi Ecclesiam iure pertinent" (ibid.) atque inservire apta sunt ad gratiam unitatis impetrandam et ad vincula quibus Catholicci cum fratribus seiunctis 25 adhuc coniunguntur significanda.

27. Decet, igitur, ut quaedam communicatio in spiritualibus permit-
tatur seu ut Christiani communem partem habeant in illis bonis

spiritualibus quae ipsis iam communia sunt, idque modo et mensura quae in praesenti divisionum statu licita esse possit. Cum autem haec bona spiritualia diversimode in diversis christianorum coetibus inveniantur, communicatio in spiritualibus ab hac ipsa diversitate pendet et secundum 5 personarum, ecclesiarum et communitatum circumstantias de ea variis modis tractandum est. Ad eam igitur moderandam, ea quae sequuntur, pro praesenti statu rerum, proponuntur.

28. Attendendum est ad quamdam legitimam reciprocitatem ita ut, cum mutua comprehensione et caritate, communicatio in spiritualibus, etiam si 10 limitata, sano progressui concordiae inter christianos contribuat. Dialogi igitur et consultationes hac de re inter auctoritates catholicas, locales necnon territoriales, et auctoritates aliorum communiorum valde commendantur.

29. Ubi autem haec reciprocitas et mutua comprehensio difficiliores redduntur eo quod, in aliquibus locis et relate ad quasdam communitates et 15 personas, motus oecumenicus et desiderium pacis cum Ecclesia Catholica nondum invaluerint (cf. Decr. "De Oecumenismo", n.19) Ordinarius loci vel, si casus ferat, conferentia episcopalis normas peculiares edere potest ut omne periculum indifferentismi vel proselytismi his in circumstantiis evitetur. Optandum tamen est ut, per gratiam Spiritus Sancti et prudentem curam pasto- 20 ralem Ordinariorum, sensus oecumenicus et mutua aestimatio tum apud fide- les catholicos tum apud fratres seiunctos ita crescant ut necessitas harum normarum peculiarium paulatim evanescat.

30. Sub nomine communicationis in spiritualibus veniunt omnes praecationes in communi indictae, usus in communi rerum vel locorum sacro- 25 rum, et omnis communicatio in sacris proprie dicta.

31. Per communicationem in sacris intelligitur participatio in quo- libet cultu liturgico vel etiam in sacramentis unius aliisve Ecclesiae vel Communitatis ecclesialis.

32. Sub voce "cultus liturgicus" intelligitur cultus ordinatus secundum libros, praescriptiones, vel consuetudines alicuius Ecclesiae vel Communitatis, celebratus a ministro vel delegato huius Ecclesiae vel Communitatis ut tali agenti.

B. De precationibus in communi indictis

- 5 33. "In quibusdam peculiaribus rerum adiunctis, cuiusmodi sunt pre-
cationes quae "pro unitate" indicuntur, atque in oecumenicis
conventibus, licitum est immo et optandum, ut Catholici cum fra-
tribus seiunctis in oratione consocientur. Communes eiusmodi
preces perefficax sane medium sunt gratiae unitatis impetrandaet
10 et genuina significatio vinculorum quibus Catholici cum fra-
tribus seiunctis adhuc coniunguntur" (Decr. "De Oecum., n.8).

In Decreto agitur de precationibus cum participatione activa membro-
rum, etiam ministrorum, diversarum communitatium. Circa hanc participationem
quae, in quantum Catholicos respicit, tutelae Ordinariorum locorum mode-
15 randa et fovenda committitur, sequentia sunt notanda:

34. Optandum est Catholicos cum fratribus seiunctis in oratione con-
sociari pro quavis communi sollicitudine in qua cooperari possunt et debent,
v.g.: ut promoveatur pacis bonum, socialis iustitia, mutua hominum caritas,
familiae dignitas etc. His casibus aequiparantur occasiones in quibus ali-
20 qua natio vel communitas gratias Deo in communi agere vel adiutorium Eius
pro opportunitate impetrare volunt, ut v.g. in festis nationalibus, tempore
calamitatis vel luctus communis, die ad memoriam defunctorum in servitio
patriae dedicata, occasione aperturae scholae vel dedicationis nosocomii
communis etc. Haec communis oratio, proposse commendatur etiam quando
25 inter christianos conventus habetur, studii vel actionis causa.

35. Precationes autem in communi indictae respicere debent imprimis
redintegrationem unitatis inter christianos. Thema eiusmodi celebrationis
esse potest, v.g.: mysterium Ecclesiae eiusque unitatis, baptismus ut vin-
culum sacramentale unitatis etiamsi imperfectae, renovatio vitae tum perso-
30 nalis cum communitaria ut via necessaria ad unitatem necnon alia themata
de quibus in 23.

36. De forma celebrationis.

- a) Celebrationis huius adparatio (v.g. personas eligere quae interessent, themata seligere, hymnos, lectiones S. Scripturae, preces etc.) necnon ordinem officii statuere communi approbatione et concursu omnium participantium fiat qui varias Ecclesias vel communitates repre-
5 sentant.
- b) In hac celebratione locum habere potest quaelibet lectio, precatio et hymnus qui aliquid circa fidem vel vitam spiritualem omnibus christianis commune exprimat. Fas est insuper exhortatio vel allocutio vel meditatio biblica haberri quae secundum communem christianaee haereditatis consensum instituatur et quae ad mutuam comprehensionem conduceat et unitatem inter christianos promoveat.
10
- c) Optandum est has celebrationes tum inter catholicos peractas tum una cum fratribus seiunctis habitas ita ordi-
nari, ut communariae orationi iuxta motus liturgici incepta conformes
15 sint (cf. Const. "De Sacra Liturgia", v.g. nn.30,34,35).

d) In precibus praeparandis, quae in templo alicuius Ecclesiae

Orientalis celebrantur, animadvertendum est formam liturgicam receptam considerari apud Orientalis ut intercessioni peculiariter aptam. Rationem igitur ordinis liturgici huius Ecclesiae habere oportet.

37. De loco celebrationis.

- a) Locus seligendus est ad quem omnibus participantibus convenire placeat. Cura habeatur, ut omnia ibi decentia sint et ad spiritum religiosum fovendum apta.
20
- b) Quamquam ecclesia vel templum sit locus in quo unaquaeque communitas liturgiam sibi propriam de more celebrat, non tamen ob hanc rationem quaevis celebratio communis ibi vetita est sed datis circumstantiis, de consensu Ordinarii, etiam opportunum esse poterit, ut celebrationes quae
25 in communi fiunt in ecclesia unius aliisve communitatis habeantur.
- c) Quando precationes in communi cum fratribus orientalibus

seiunctis habentur, animadvertisendum est omnes fratres orientales ipsam eccl esiam ut locum quam maxime prorpium ad orationem publicam habendam considerare.

38. De vestimentis. Non excluditur, datis circumstantiis et cum
5 communi consensu participantium, vestis choralis usus.

C. De Communicatio in Sacris

39. "Communicationem in sacris considerare non licet velut medium indiscretim adhibendum ad Christianorum unitatem restaurandam. Quae communicatio a duobus principiis praecipue pendet: ab unitate Ecclesiae significanda et a participatione in mediis gratiae. Significatio unitatis plerumque vetat communicationem. Gratia procuranda quandoque illam commendat"
10 (Decr. "De Oecumenismo", n.8).

40. "Cum autem illae Ecclesiae (Orientales), quamvis seiunctae, vera sacramenta habeant, praecipue vero, vi successionis apostolicae, Sacerdotium et Eucharistiam, quibus arctissima necessitudine adhuc nobiscum coniunguntur,
15 quaedam communicatio in sacris, datis opportunis circumstantiis et approbante auctoritate ecclesiastica, non solum possibilis est sed etiam suadetur"
(ibid. n.15). Cf. etiam Decr. "De Ecclesiis Orient. Catholicis", nn.24-29.

1) De Communicatione in Sacris cum fratribus orientalibus a nobis seiunctis.

41. Inter Ecclesiam Catholicam et Ecclesias Orientales a nobis seiunctas communio sat arcta in rebus fidei exstat (cf. decr. "De Oecum!", nn.
20 14-15); praeterea "per celebrationem Eucharistiae Domini in his simbulis Ecclesiis, Ecclesia Dei aedificatur et crescit" et "illae Ecclesiae quamvis seiunctae, vera sacramenta habent, praecipue vero, vi successionis apostolicae, Sacerdotium et Eucharistiam..." (cf. idem, n.15). Quapropter fundamen
25 tum praebetur, ecclesiologycum et sacramentale, ut quaedam communicatio in sacris cum his Ecclesiis, non excluso Eucharistiae sacramento, "datis opportunitis circumstantiis et approbante auctoritate ecclesiastica" non solum permittatur sed etiam quandoque suadeatur (cf. ibid.). De hac re pastores sedulo instruent fideles ut circa hanc communicationem in sacris recta
30 agendi ratio illis clare pateat.

42. Huius communicationis normae, a Decreto De Ecclesiis Orientalibus Catholicis stabilitae (cf. nn.26-29), cum illa prudentia observandae sunt quae in hoc decreto commendatur. Normae, quae iuxta Decretum fideles Ecclesiarum Catholicarum Orientalium respiciunt, etiam pro fidelibus cuiusvis
5 ritus, ritu latino non excluso, valent.

43. Quoad receptionem vel administrationem sacramentorum Paenitentiae, Eucharistiae et Unctionis Infirmorum, per opportunum est, ut auctoritas catholica sive localis sive Synodus vel Conferentia Episcopalis facultatem communicandi in his sacramentis non concedant nisi post favorabilem exitum
10 consultationis cum auctoritatibus Orientalibus seiunctis competentibus, saltem localibus, initae.

44. In concedendo facultatem in sacramentis communicandi, ad quamdam legitimam reciprocitatem attendere quam maxime decet.

45. Praeter casus necessitatis, iusta causa communicationis in sacramentis suadendae aestimari potest impossibilitas, materialis vel moralis,
15 accipiendo sacramenta in propria Ecclesia per nimium tempus ob peculiaria rerum adiuncta, ne fidelis, sine legitima ratione, spirituali fructu sacramentorum privetur.

46. Cum apud Occidentales et Orientales diversi sint usus quoad frequentiam receptionis Eucharistiae necnon praxim sacramentalis confessionis ante communionem simul cum iejunio eucharistico, cavendum est ne, in praxi communicationis, inobservatia ab Occidentalibus usum Orientalium admirationem vel suspiciones excitet fratrum seiuncorum. Propterea, Catholicus, qui ad communionem apud Orientales seiunctos, in praedictis casibus, legitime accederet, disciplinam orientalem in hac materia, pro posse, ad amussim servabit.
25

47. Accessus ad confessarium catholicum pateat orientalibus, qui, deficiente copia confessorum propriae Ecclesiae, id sponte desiderant caveant tamen confessores ne oriatur suspicio proselytismi, legitima reciprocitas etiam hac in re servetur.

48. Catholicus qui, propter cansas de quibus infra, n.49, Sacrae Divinae Liturgiae (missae) apud fratres orientales seiunctos diebus dominicis vel festis de praecepto adest, Sanctae Missae participationi in Ecclesia Catholica non amplius tenetur. Item, iisdem diebus, Catholicis qui, gravi 5 de causa ab assistentia ad Sacram Liturgiam in ecclesia catholica **impediti** inveniuntur, fas est ad Sacram Liturgiam in ecclesia orientali adsistere, si hoc fieri possit.

49. Iusta de causa, licet admittere fidelem orientalem ad munus patrini vel matrinae, simul cum matrina vel patrino catholico, in baptismate 10 catholici infantis vel adulti, dummodo de educatione catholica baptizati satis provisum sit et de idoneitate personae patrini constet. Catholico munus patrini vel matrinae ad baptismum in Ecclesia orientali collatum non prohibeatur, si ad id invitatus est.

50. In matrimonio in ecclesia catholica celebrando, a munere para- 15 nymphi vel testis non arceantur fratres a nobis seiuncti. Catholicus vero paranymphus vel testis esse potest in matrimonio quod inter fratres a nobis seiunctos rite celebratur.

51. Fidelium catholicorum praesentia in cultu liturgico fratrum orientalium admitti potest iusta de cause, videlicet publici vel professionalis 20 officii, cognationis, amicitiae vel desiderii profundioris cognitionis etc. His in casibus non excluditur ut aliquam partem habeant in communibus respon- sis, hymnis, gestibus illius Ecclesiae cuius hospites evadunt, sine receptione Eucharistiae, nisi ad normas sub numeris 41 et 43 positas. Ordinarius permit- 25 tere potest ut Catholicus munus lectoris intra cultum liturgicum, si ad id in- vitetur, assumat. Quod, vice versa, de modo praesentiae fratrum seiunctorum apud celebrationes in ecclesiis catholicis habitis dicendum est.

52. Ad participationem quod adtinet in caeremoniis quae communica- tionem sacramentalem non supponunt, sequentia serventur:

- a) in caeremoniis apud Catholicos habitis, minister alicuius Ecclesiae
30 Orientalis qui Ecclesiam suam ibi reprezentat, illum locum et honores

liturgicos accipere debet qui ad ministros catholicos eiusdem ordinis vel dignitatis in Ecclesia Catholica pertinent; b) minister catholicus qui modo officiali caeremoniis religiosis apud orientalis habitis adsistat, induere potest habitum choralem vel insignia suae dignitatis ecclesiasticae de mutuo 5 consensu; c) sedulo attendatur ad mentem propriam cum ministrorum tum fidelium Orientalium necnon consuetudines eorum, quae variae esse possunt iuxta tempora, loca, personas vel adiuncta.

53. Quia "communicatio in sacris functionibus, rebus et locis inter catholicos et fratres seiuncos orientales iusta de causa permittetur" (Decr. 10 "De Eccl. Orient.", n.28) commendatur ut usus aedificii catholici vel templi cum ceteris rebus necessariis concedatur sacerdotibus vel communitatibus orientalium seiunctarum pro eorum functionibus religiosis, praesertim si ipsi id petant, cum careant locis in quibus has functiones rite et digne celebrare possint.

15 54. Curent moderatores scholarum et institutorum catholicorum ut possibilis detur ministris orientalibus praestandi adiutorium, spirituale et sacramentale, fidelibus eorum qui instituta catholica frequentant. Quod adiutorium, datis circumstantiis et concessa licentia Ordinarii, etiam intra aedificium catholicum, templo non excluso, dari potest.

20 55. In nosocomiis et aliis institutionibus similibus quae a catholicis diriguntur, curent moderatores ut sacerdotem Ecclesiae orientalis seiunctae tempestive certiorem faciant de praesentia fidelium eius atque possilitas ei detur aegrotos visitandi necnon sacramenta digne et reverenter administrandi.

2) De communicatione in sacris cum aliis fratribus seiunctis

25 56. Sacramentorum celebratio semper est actio communitatis celebantis in ipsa communitate peracta, cuius unitatem in fide, cultu et vita exprimit. Ubi haec unitas graviore modo deficit, participatio catholicorum cum fratribus seiunctis, praesertim in sacramentis Eucharistiae, Paenitentiae et Unctionis Inferorum, non permittitur. In casibus particularibus,

v.g. in periculo mortis, principia generalia moralis fundamentalis exceptionem exigere possunt.

57. Quia minister catholicus nomine Ecclesiae munere suo fungitur, ne alicui fratri a nobis seiuncto, intra celebrationem Sacrae Eucharistiae, functio S. Scripturarum lectoris vel praedicatoris committatur; neque, vice versa, catholicus easdem functiones assumat in celebratione Sacrae Coenae vel principalis cultus Verbi liturgici quae apud communionem a nobis seiunctam habetur. In ceteris actionibus, etiam liturgicis, quasdam functiones assumere, si casus ferat, non prohibetur.

10 58. Patrini munus, sensu liturgico et canonico, in baptismatis et confirmationis sacramentis praestari nequit a christiano communionis seiunctae, illis exceptis de quibus in n.49. Patrinus enim et matrina non solum ut familiae cognatus vel ut amicus baptizandi vel confirmandi eius christianaे educationis curam tenet, sed etiam, communitatem fidei representans, neophyti 15 fidei sponsor est. Pariter catholicus hoc munere erga membrum communitatis seiunctae fungi nequit. Attamen, propter cognationis vel amicitiae rationes, christianus aliis communionis admitti potest ut factum collationis sacramenti testificatur. Sedulo current pastores, ut fideles de vera ratione harum restrictionum edoceantur ad omnem incomprehensionem necnon rixam in familiis vel 20 in societate evitandam.

59. In matrimonii catholici celebratione, fratribus a nobis seiunctis munere testis officialis fungi permittitur; quod valet etiam pro catholico in matrimonio quod inter fratres a nobis seiunctos rite celebratur.

60. Catholicorum praesentia occasionalis in cultu liturgico fratrum seiuncorum admitti potest iusta de causa, videlicet, publici vel professionalis officii, cognationis, amicitiae vel desiderii profundioris cognitionis, occasionis conventus oecumenici etc.. His in casibus, salvis supradictis, non excluditur ut aliquam partem habeant in communibus responsis, hymnis, gestibus, illius communitatis cuius hospites evadunt, dummodo fidei communi consoni sunt. Quod, vice versa, de modo praesentiae fratrum seiuncorum apud celeb- tiones in Ecclesiis catholicis habitis dicendum est.

Haec participatio, ex qua semper excluditur receptio ipsius Eucharistiae, illos ad aestimationem spiritualium divitiarum inter nos existentium conductere debet simul ac separationum gravitatis magis conscientios reddere.

61. Ad participationem quod adtinet in caeremoniis quae communicacionem sacramentalem non supponunt: ministri aliarum communionum qui ad caeremonias adstant locum qui dignitati eorum correspondeat, de mutuo consensu, accipient. Item, ministri catholici qui praesentes sunt ad caeremonias apud alias communiones celebratas habitum choralem induere possunt, ratione habita consuetudinum localium.

62. Exsequialibus caeremoniis, quia ritus sacramentales non sunt, propinquis alicuius fratri seiuncti defuncti poscentibus et deficiente proprio ministro, catholicus sacerdos praeesse potest. Item, deficiente ministro catholico, catholici administrationem ministri non catholici in ritibus exsequialibus petere possunt.

63. Si fratribus seiunctis desunt loca in quibus functiones suas religiosas rite et digne celebrare possint, Ordinarius loci usum aedificii catholici et templi vel aliorum necessariorum pro functionibus eorum concedere potest.

64. Curent moderatores scholarum et institutorum catholicorum ut possibilitas detur ministris aliarum communionum praestandi adiutorium, spirituale et sacramentale, propriis fidelibus qui instituta catholica frequentant. Quod adiutorium, datis circumstantiis, etiam intra aedificium catholicum dari potest ad normas numeri 63.

65. In nosocomiis et aliis institutionibus similibus quae a catholicis diriguntur, curennt moderatores ut ministros communionum seiunctarum tempestive certiores faciant de praesentia eorum fidelium atque possilitas aegrotos visitandi necnon adiumentum spirituale et sacramentale praestandi eius detur.